



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Responsio. Primi homines in statu innocentia comederunt & biberunt
secundùm Augustinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—❁—


DVBIVM TERTIVM.

An primi homines in statu innocentie comederint & biberint ?

Respondeo , & dico : *primi homines in statu innocentie comederunt & biberunt secundum Augustinum, probatur ex l. 13. de Civit: cap. 20. ubi ait : qui licet morituri non essent , nisi peccassent , alimentis tamen, ut homines utebantur, nondum spiritualia , sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quae licet senio non veterascerent , ut necessitate perducerentur ad mortem : tamen & alios sumebant cibos praeter unam arborem , quae fuerat interdicta, aiebantur ergo alijs , quae sumebant, ne animalia corpora molestia aliquid esuriendo, aut sitiendo sentirent. & l. 14. cap. 26. cibus aderat, ne esuriet : potus, ne sitiret, & l. 1. retract. c. 13. quia etiam pristina stabilitas corporis, quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, ut in defectum non vergeret senectutus. Huic ergo pristinae stabilitati restituatur hoc corpus resurrectione mortuorum : Sed habebit amplius, ut nec alimentis corporalibus sustentetur, & l. 2. de pec. merit. cap. 21. recte intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessis & praecipue ligno vitae.*

Obijcies : si primi homines comederint & biberint in statu innocentiae : fuit in illis fames & sitis, sed

hoc dici nequit; ergo non comederunt neque biberunt. probatur minor, quia fames & sitis habent adjunctam molestiam & miseriam, ut experientia constat. Respondeo distinguendo majorem: fuit in illis fames & sitis, id est, appetitus comedendi & bibendi ad restaurandum, quod perditum erat per pugnam qualitarum, & inordinatus, qualis in nobis est, nego: id est, appetitus naturalis comedendi & bibendi ad præveniendum iudicio rectæ rationis, ne aliquid perderetur, concedo majorem, & distincta similiter minori nego consequentiam. Fames enim & sitis posteriori modo acceptæ non habent adjunctam molestiam, neque sunt pœna peccati.



DVBIVM QVARTVM.

An primus homo fuisset mortuus, si non peccasset?

ARbitrati fuerunt olim quidam, ut refert S. Augustinus l. 6. de Gen. ad lit: cap. 22. primum hominem mortem corporis peccato non meruisse, sed propter corpus animale illum exiturum fuisse de hoc corpore ad requiem, quam nunc habent sancti; & idem docuerunt Pelagiani.

Respondeo & dico: primus homo secundum Augustinum, si non peccasset, non fuisset moriturus. probatur